



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

5. Architecti Christiani forma est Sapientia Caritate animata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

## ARCHITECTUS CHRISTIANUS. 51

ædificativum esse, & similes loquendi formulæ, ut superius est demonstratum, usu Ecclesiastico significant spirituale emolumentum, quod proximo accedit, ex doctrina exemplis que ejus, qui ædificare dicitur.

Sic dum videmus adolescentem compositis moribus in plateâ aut fero oculis minimè vagum, in consortio reliquorum cum modestia affabilem, in risu non effusum, moderatum in verbis, ubique verecundum, dicimus est adolescens bonæ ædificationis. Si observamus virum maturitate gravem, nihil unquam proferentem noxium, petulans probosum, sed semper, quæ sana quæ proba, quæ utilia loquentem, affirmamus, nihil ab eo proficisci, quod non sit ædificativum, Sacræ scripturæ phrasibus congruenter. Sunt enim usitatæ in diuinis paginis ejusmodi formulæ, quibus docemur Sapientiæ veræ Amorem Architectum esse debere Christianum.

---

### ARTICULUS V.

#### ARCHITECTI CHRISTIANI FORMÂ

*Est Sapientia Caritate animata.*

**V**T Musica, siue ars canendi Musicum constituit, ita sit quædam oportet per se formâ Christianum Architectum perficiens. Quænam est illa? Hic tantùm indicanda est, explicanda alibi accuratius. Non est, mihi credite, vel ingenii naturalis subtilitas, vel tenacitas memoriæ, vel linguæ volubilitas, vel eloquentiæ amœnitas. Sine his esse poterit *Architectus Christianus*. Neque hunc facit, aut Philosophiæ Aristotelicæ cognitio, aut Medicinæ peritia, aut notitia Iurisprudentiæ, aut Theologica perscrutatio: sic enim plurimi ex Architectorum albo expungerentur, qui in illo sunt præcipui. Non est etiam ad illam necessaria vel nobilitas generis, vel corporis pulchritudo, vel robur virium, vel opum copia.

D 2

Hæc

Hæc nobilem, venustum, fortem, divitem, non *Architectum Christianum* faciunt. Quæ-nam ergo est *Architecti nostri* forma? verbo exprimam, SAPIENTIA. Nam forma *Architecti* est illa, quâ, tanquam arte, *Domus* ædificatur: *Sapientia* autem, inquit Salomon, *ædificatur domus, & prudentia roborabitur*, Proverbiorum x x i v. *Sapientia ædificavit sibi Domum*, Prov. ix. tum ut *Architectura* Magistra, tum ut *Architectatrix*, quæ ædificatur quæ bona sunt omnia.

Quæ est illa? quam depingit Jacobus Apostolus *Epistola sua* capite 3. quid desursum est *Sapientia*, primum quid *pudica* est, deinde *pacifica*, *modesta*, *suadibilis*, *bonis consentiens*, *plena misericordia*, & *fructibus bonis*, non *iudicans*: sine *simulatione*. Ab hac *Sapientia* non distinguitur, certè, nunquam divellitur *Caritas* illa, quam ut formam *Architecti* prædicat Paulus Apostolus, dicens, *Scientia inflat*, *Caritas* verò *ædificat*. *Ædificat Caritas*? Ergo inhaeret animi tanquam ars *Architectonica* in opifice, & *Architecto* facit. Ita equidem reor, & in superioribus est satis *plicatum*. Quare si vobis est animus in album eorum qui *Christiani* sunt *Architecti*, referri, & eam artem *perfectè* addiscere, quæ pereuntibus ceteris, æternas mentes vestras exornet, ad alteram vitam comitatus *ligite Deum* & proximum, caritate quæ de sursum *Caritas* hæc *Ædificans* nunquam excidit, si ve prophetae *evacuabuntur*, si ve linguæ cessabunt, si ve scientia *struetur*. Amate delectissimi & perennate: nam revere  
*Omnia prætereunt præter AMARE DEUM.*

OS (O) SO  
